



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An boni & mali sint in Ecclesia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

remoustrabitur. & quasi in quodam quietissimo portu, boni mittuntur in vase celestium mansionum: malos autem torrendos & exciandos gehennæ flammæ suscipiunt.

Ille igitur sine dubitatione *οὐκ ἔστιν* intelligit malos pisces, & inuitiles. Bezae oppositio eius præceptorem Ioannem piscatorem. *οὐκ ἔστιν* *οὐκ ἔστιν* inquit, scilicet piscium. Tam ex putribus, quam ex bonis piscibus: ut declaratur in seq. synecdoche generis. Vide Augustin. quæstione sequenti.

§. 1. Argumentum Bezae infirmum est, quod *οὐκ ἔστιν* de putribus dicatur. Nam supra audiuius, arbores ferre fructus *οὐκ ἔστιν*, non quod fructus sint putres, cum eos ferunt arbores, sed mali saporis. Nam & bonarum arborum fructus putrescunt. Porro *οὐκ ἔστιν*, ut & *οὐκ ἔστιν* etiam de alijs vitis dicitur. Sic enim in sepia piscis, & cruor eius dicitur. *οὐκ ἔστιν* autem est, quod putre, rancidum, marcidum. *οὐκ ἔστιν* *οὐκ ἔστιν* vocat Aristoph. in pace. Plur. in Galba eodem modo *οὐκ ἔστιν* vocat, quorum commotus, & irritatus est animus. Significat etiam debilem, futilem, frivolum: ita *οὐκ ἔστιν* *οὐκ ἔστιν* vocat Eurypides. nugas, & sermones inanes. Malos itaque intelligit pisces sapore inuitili, & noxios, plurimi enim pisces sunt venenati, aur a quo sapore abhorret natura hominum. Denique c. 10. 17. *οὐκ ἔστιν* *οὐκ ἔστιν*, non est arbor: putris, nec carie quidem vitiat: talis enim si integra tulit bonos fructus, etiam cariosa feret eiusdem naturæ. Sed arbor mali succi, cuius fructus amari sunt.

QVÆSTIO I.

An boni & mali sint in Ecclesia?

§. 1. Estimium illud contra veteres præduxerunt Catholici patres, ut ostenderent in Ecclesiæ lagenam recipi bonos & malos. Quia namque Ecclesiæ inuenisse thesaurum absconditum, & margaritam præstantissimam docuerat, ne quis in illa omnia munda, pretiosaque esse suspicaretur, ideoque non putaret Ecclesiæ, ubi præter thesauros & margaritas sordes & quisquilias cerneret, hanc similitudinem adiunxit. Est vero idem huius parabolæ, & illius de Zizanij agnitionem. Quo hæc est Donatistarum, & Anabaptistarum penitus damnatur. Augustinus l. post collationem ad Donatistas parabolam Zizaniorum & hanc iungit. Hoc agebamus etiam similitudine *οὐκ ἔστιν* *οὐκ ἔστιν*, ut causa & persona Zizaniorum non præiudicaretur causa & persona tritici, quæ in eodem agro eadem planities simul creverunt usque ad messem, quando separari oportet: ut causa & persona paleæ non præiudicaretur persona frumenti, quæ in eadem area simul triurarentur donec novissima ventilatione separarentur: ut causa & persona hederum non præiudicaretur causa & persona oliuæ, quæ in eodem vineæ campo permixta feruntur. donec à patre suo in iudicio nouissimo, alij ad sinistram alij ad dextram segregentur. Et causa & persona piscium malorum non præiudicaretur causa & persona piscium bonorum, quæ in eadem reia tenerentur in extremo litore separandi; hoc est, in fine mundi, quod significat finem seculi. Quibus parabolis & figuris Ecclesiæ præiudicata est usque ad finem seculi bonos & malos simul habitura, ita ut nec mali bonis obesse possint, vel cum ignorantur, vel pro pace & tranquillitate ecclesiæ tolerentur, si eos prodi aut accusari non oportuerit, aut alijs bonis non poterit demonstrari: ita sane ut nec emendationis vigilantia quisque, corripendo, degradando, excommunicando, ceterisque coercionibus licite atque concessis, quæ salua vnitatis patre in ecclesiâ quotidie sunt secundum præceptum Apostolicum. Et idem tract. 6. in Ioan. Nicolaus Papa. de cons. dist. 1. Melchior Canus l. 4. c. 6. de locis Theol. D. Th. 2. 2. q. 1. Probat Aug. ex Cypr. l. 3. Ep. 3. ad quæ negat aduersarios Episcopos respondisse, vel potuisse respondere.

§. 2. Sumpsit ad suorum defensionem ista Calui-

nus lib. 4. c. 1. §. 13. [In vitæ autem imperfectione toleranda multo longius procedere indulgentia nostra debet, hic enim valde lubricus est lapsus; neque vulgatis machinamentis hic Satan nobis insidiatur. Fuerunt enim semper qui falsa absoluta sanctimoniam persuasionem imbuti, tanquam aeris quidam demones iam facti essent, omnium hominum consortium asperserantur, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari, & (qui ad eorum vesaniam accedebant) Donauistæ. Tale hominibus ex Anabaptistis nonnulli, qui supra alios volunt videri profecisse. Alij sunt qui inconsiderato magis iusticie zelo quam insana illa superbia peccant. Dū enim apud eos quibus Euangelium annuntiatur, eius doctrinæ non respondere vitæ fructus vident, nullam illic esse Ecclesiā statim iudicant. Iustissima quidem est offensio, & cui plus satis occasionis hoc miserrimo seculo præbemus. Nec excusare licet maledictam nostram ignauiam, quam Dominus impunitam non sinet: ut iam grauius flagellis castigare incipit. Væ ergo nobis, qui tam dissoluta flagitiorum licentia committimus, ut propter nos vulnerentur imbecilles conscientie. Sed in hoc vicissim peccant illi quos diximus, quod offensionis suæ modum statuerent nesciunt. Nam ubi Dominus clementiam exigit, omissa illa, totos se, immoderate seueritati tradunt. Quia enim non putant esse Ecclesiā, ubi non est solida vitæ puritas & integritas, scelorum odio à legitima Ecclesiâ discedunt, dum à factione improborum declinare se putant. Allegant, Ecclesiā Christi sanctam esse. Verum, ut simul intelligant esse ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Christi parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo pisces omnis generis colliguntur, neque seliguntur donec in litore sint expoliti. Audiant agri esse similem, qui bona fruge confusus, zizanij, inimici fraude inficitur: quibus non expurgatur, donec in aream aduecta fuerit messis. Audiant denique aream esse, in qua sic collectum est triticum ut sub palea delitescat, donec vano & cribro repurgatum, in horreum tandem reconditur. Quod si hoc malo ad idem usque iudicij laboraturam Ecclesiā pronunciat Dominus, ut improborum permixtione oneretur: frustra nullo nano in spem suam quærunt.]

§. 3. Vera est fateor illa doctrina, sed nobis, non autem illis profuit. Principio enim cum esset magna Catholicorum multitudo, exiguus cætus Sectatorum, nulla rem magis, quam vera falsaque referendo, & conuincendo populum traxerunt. At vero cum apud suos vix decimam quæmque sinceram, plerisque ex professo improbos cernerent, tum demum orta est de scandalis oratio. Si vero ob scandala non oportet exire de Ecclesiâ, ne à nobis quidem exire oportuit, at postquam à nobis secessionem fecerunt, à suis etiam seductoribus ad alios transeunt. Vident viam in qua sunt veram, & rectam ducentem non esse: itaque in aliam, cum primo se diuerticulum offert, temere transiliunt.

§. 4. Deinde ob mores Calvinianorum ab illis ex doctrina recedendum est, quia mala doctrina illi respondent. nam mala. Atque hoc est grande inter nos & illos discrimen. mali mores. Qui in Ecclesiâ Catholica offendiculo sunt, contra res Calvinianorum: qui in illorum cætu flagitiose viuunt hoc sunt, quod docent. Hoc agunt quod audiunt. Negant eos posse à peccatis desistere, negant Qui se peccatis reddi iniustos, aut de salute periclitari. Itaque actus ad doctrinam illam noxia est salutis: ex enim impedimentum penitentia ponit. Conscientia enim peccati non tantum scandalum gignit, qui non modo per inuitabile decretum Dei id se fecisse, sed etiam Dei potentia in id se præcipit: ut si se persuadentur.

[Deinde

Armi-
nius. [Deinde quia aufert, inquit, piam sollicitudinem
conuertendi se à peccato ad Deum. Qui enim pure
se passiuè habet planeque instar mortui, non solum
ad sentiendum excitantem & præsentem Dei gratiã,
sed etiam ad ei assentiendum, eique obediendum;
quique sic per irresistibilem vim conuertitur, vt non
solum gratiam quæ intus pulsatur, non possit non sen-
tire; sed etiam ei necessario debeat assentiri, licet se
conuertere, aut potius conuerti; plane non potest in
corde suo talem sollicitudinem in animum inducere
aut concipere, nisi prius ante irresistibilem talem mo-
tum senserit: aut si quam sollicitudinem in animum
inducet, ea frustranea erit atque nullius rei, vera enim
sollicitudo esse non potest, quæ non nisi per vim irre-
sistibilem in animo ingenerata est ex præciso proposito
& absoluta intentione Dei ad saluandum. 3. Quia
zelum & studium bonorum operum inhibet in con-
uerfis, cum statuit regegitos, neque plus, neque mi-
nus boni præstare possit, quam præsent. Atque enim à
gratia salutari, debet operari, neque id intermittere
potest; ab eadem autem gratia non actus, non potest
quicquid agere, sed id omittat, necesse habet. 4. Quia
ex inquit zelum ad precandum; quum oratio tamen
efficax medium sit à Deo institutum ad impetrandum
à Deo quidlibet boni, maxime verò salutem. Ex quo
enim antea destinatum est immutabili & inuitabili
decreto, eiusmodi homines salutem adepturos, o-
ratio nequaquam medium esse potest ad salutem im-
petrandum. Sed solummodo cultus Dei: quia ex ab-
soluto decreto prædestinationis suæ talem hominem
decreuerit seruare. 5. Tollit saluberrimum timorem
& tremorem, in quo iubemur salutem nostram ope-
rari. Statuit enim quod electus & credens non potest
plena & tota voluntate peccare sicuti impij peccant;
neque vero etiam totaliter aut finaliter à fide siue gra-
tia excidere. 6. Quia in homine desperationem gignit
tam faciendi quod officium nostrum postulat, quam
obtinendi in quod desiderium nostrum fertur. Cum
enim docetur gratiam Dei, quæ quidem ad boni ali-
quid faciendum necessaria est, maiori parti hominum
ex præciso & absoluto Dei decreto denegari, idque
propterea, quod decreto præcedente æque absoluto
decreuerit salutem ipsis non conferre; sed vero dam-
nare eos, vix potest, quin cito accadat, vt qui sibi haud
ita persuadet electum se esse, ex reprobis se esse
numero statuat. Vnde non potest deinde non oriri
desperatio quædam faciendi iustitiam, & obtinendi
salutem.]

QVÆSTIO III.

An quia omnes mali sunt in ignem conijciendi, etiam
paruuli pœnam sensus experiantur?

§. 1. Bellarminus l. 6. c. 5. de amissione gratiæ & sta-
tu, ait paruulos in hoc Apostolico reti non ef-
se: Atque ita respondet ad eorum argumentum, qui
objiciunt. Omnes mali pisces in ignem conijciuntur, paruuli
non baptizati sunt mali pisces, in ignem ergo conijciuntur.
Qui igitur baptizati non sunt, cum non sint in sagena
Apostolica, non possunt etiam eodem iudicio dam-
nari. Agi enim hic de illis, qui in Ecclesiã allekti sunt
& per fidem & Sacramenta in nalla Apostolica com-
prehensi.

§. 2. Parcus tamen obstrepit. [Eadem ratione dice-
ret, ad adultos malos extra Ecclesiã non pertinere:
hosq; à camino ignis immunes fore. Sed manifesta est
descriptio iudicii vniuersalis. Sagena quidem ministe-
rium ecclesiæ seu prædicationem verbi significat: sed
mare est mundus, ex quo boni & putres pisces capi-
untur. Manent nihilominus multi putres in mari, qui
caminum ignis non effugient.]

Respondet. Si hoc Bellarminus diceret, non rectè

in sagena

diceret, nec eadè ratione. Multi pisces putres sunt in
sagena, plures in mari. Omnes qui sunt in sagena, vel
boni sunt, vt ad mensam Domini veniant, vel ita ma-
li, vt non modo in peccato originali sine sed etiam in
actuali. Nam in sagena nemo est, qui tantum sit con-
taminatus peccato originali; paruuli enim qui in ea
sunt lauacro regenerationis mundati sunt, pariter & argu-
adulti, qui igitur in sagena mali sunt, suo proprio à se
perpetrato scelere mali sunt. ideo sceleti respondentes
pœnam excipiunt. In mari vero sunt pisces dupliciter
mali, sed discrimine ingenti, quidam sunt originali-
ter mali tantum, alij originaliter, & actualiter. Priores
pœna damni tantum, posteriores pœna etiam sensus
afficiuntur. Itaque iudicii imbecillitate labitur, cuius
ratiocinatur. Nemo, qui est verum Ecclesiæ membrum,
soli originalis peccati pœnam sustinet, ergo nemo
extra Ecclesiã eam solum subibit. Ex eo enim con-
sequeretur baptizatis fidelium liberis non condonari
peccatum originale. Qui in Ecclesiã est, illi per ba-
ptismum remissum est peccatum originale, ita vt nul-
lum actuale commisserit; eo statu moriens, celo-
rum regni particeps est, si paruulus est. Si vero adultus
in Ecclesiã etiam est per baptismum, vel fidei profes-
sionem, nec solum habet originale si damnatur, itaq;
in sagena nemo est cum solo originali. Omnis ergo
qui in sagena est, si damnatur, ob aliquod actuale pec-
catum damnatur, ideoque in ignem conijcitur, mi-
nus, aut grauius pro diuini iudicii æquitate cruciandus.
Quod vero ad rē attinet, verior est sententia, eos qui
suo facto non peccarunt, solo damno Gloriæ puniri,
non alio sensuum tormento: nec tamen nimium diu
iudicandi sunt, qui aliud sentiunt. Pœna enim ignis,
etsi grauis videatur, non tamen in corpora, animalia
naturaliter efficiunt, sed Dei nutu agit: vt pro merito
grauius, leuiusque molester. Si igitur pœna sensuum
paruuli afficiantur, non tamen eam admodum graue
esse iudico, vt qui nullum peccati fructum sentiant,
damnati, antequam nati. Diuersum autem eis idem
gnis effectum esse constet. Nam potentes potentius
tormenta patientur.

VERSUS 51.52.

Intellexistis hac omnia? Dicunt ei,
Etiam. Ait illis, Ideo, omnis scriba
doctus in regno celorum, similis est
homini patrifamilias, qui profert
de thesauro suo noua & vetera.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia intellexerint? & quorsum
similitudo scribæ?

§. 1. Domini seorsum omnia illis exposuit, vt est apud
Marcum, ideo se intellexisse profiteren-
tur. Illud λέγει αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς in vetustis exemplaribus
quibuldam non fuit. In multis Græcis & Syriacis o-
mnibus est, Etiam Domine. Latina tamen exemplaria
omitunt, licet sit in quibusdam. Patetfamilias respo-
sitam domiannonam habet, vt cum epulæ instituen-
dæ sunt, non faciat sumptum emendo; ita scriba non
cum docendum est, primum discit, sed iam ante in-
structus est, vt ea tradat, quæ didicit. Non enim in
diem viuit.

§. 2. Scribæ docto Apostoli conferuntur. Dicitur
vero doctus μαθητευθεῖς, vt doctus sit participium, nō
nomen. Deinde ὁ βασιλεὺς in regnum, scilicet, vt sit
instructus ad regnum celorum intelligendum, docen-
dumq; obiectum enim doctrinæ est regnum celorum.
Eo modo quo dicuntur, docti ad Cyathos, ad can-
cellos,